Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 699
Quelle:
Copyright:

Unitas est qua vnaqueque res dicitur vna &c. prout habetur in edit. *Basil. Opp. omn.* 1546. p. 965. f. et nobis *Cod.* CCLXXXIV. non tamen sine lectionis varietate. Latera praeterea et spatium inter lineas *Notae* minutissime exaratae replent. Ad calcem ab indocto Possessore docemur, *Boethium* alio nomine dictum fuisse sanctum *Severum* Episcopum.

III. *fol.* 19. praemisso integro *Cantici Canticorum* Textu sequitur in eundem *Honorii Augustodun.* Expositio a nobis jam *Codd.* XCV. et aliis indicata. Initium hic est a verbis: *Sunamitis autem de occidente venit in quadriga Aminadab* &c. quae leguntur in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1155. sub finem *Prologi primi.* Monuit etiam quidam ad oram infer. *Cod. fol.* 20. p. 2. *Prologus iste est solum medietas vltima veri prologi.* Sed reipsa multo minor medietate. Cetera deinceps ordine suo procedunt, quanquam sat mendose scripta. Ita sub finem: *Exaltat* (Extat) *libellus a nobis edictus* (editus) *qui intitulatur sigillum sancte marie, in quo tota cantica specialiter adoptata* (adaptata) *sunt eius persone.*

IV. *fol.* 74. *Sermones* duo brevissimi. Prior in illud *Lucae* VIII. (7.) *Remittuntur ei peccata multa* &c. Alter in illud *Lucae* I. *Ave Maria gratia plena* &c. absque Autorum nominibus.

V. *fol.* 75. *Legenda de Sancto Stephano Rege Vngarie imperfecta.* Manus elegans. Initium: *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est* &c. Est *Vita* divi Regis a *Carthuitio* Ep. conscripta et quidem hic sine *Praef. ad Colomanum* Regem, cum ad usus Officii ecclesiastici in IX. *Lectiones* divisa sit. Editiones Vitae hujus ad *Surianam* expressas nihil moror; in hac enim, ut alias, vir bonus *Surius* nativum stilum retractando non optimam των Παλαιοφιλων sibi gratiam conciliavit. Sed de illa mihi res est, quam *Bollandiani* T. I. *Sept.* p. 562. ad *Cracoviensem* anni 1511. cum *Mspto Corsendoncano* collatam vulgavere. Quamvis et hi, si *Cracoviensem* hanc primam credidere, decepti sunt. Namque in *Legendis Sanctorum Regni Hungariae in Lombardica historia non contentis*, quae *Argentinae* 1486. 4. et *impensis Joh. Paep librarii Budensis Venetiis* 1498. 4. prodiere, habetur *Carthuitii* Vita, ut in *Memorab. Biblioth. Garell.* P. I. p. 184. docui. Quin in *Breviario Strigonien.* anno 1484. sine loci mentione *fol.* excuso jam VI. ex ea *Lectiones* comparent, quae ab initio vitae usque ad S. *Adalberti* Martyrium porriguntur. Jam vero *Cracoviensis* Editio ad *Venetam* memoratam exacta videtur, utraque tamen infra *Nostram Msptam* est, quod exemplis declarabo. Ita c. 1. Edit. *voluntarium libenter aditum praebens*, Ms. *auditum praebens*; de aditu enim jam praemissum fuit. Edit. *baptisatus est et omnes — subditos se polliciens christiano nomine mancipaturum.* Ms. *baptisatus est, omnes — subditos se pollicens*